Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2193
Quelle:
Copyright:

Biblioteca degli Aut. antichi volgarizzati. Venet. 1767. T. V. *p.* 132. 4. Ex hactenus dictis adparet falli etiam *Bibliothecam Gesnero — Frisianam* adserentem, inter Codd. Mss. Caesareos Operis nostri *Partem* tantummodo *primam* extare. Ultima ceterum, quod sciam, ejus Editio facta est *Ratisbonae* anno 1733.

DLXXVIII.

76 Codex chartaceus lat. et ital. Sec. XVI. Folior. 74. f. inscriptus est: *Simonis de Cassia Eremitæ, Ordinis S. Augustini Epistolæ et Homiliæ.* Additur in margine eadem manu, quae Codicem exaravit: *In codice, qui asseruatur in xenodochio D. Mariæ Novæ in ciuitate Florentina nullus est præscriptus titulus in fronte huius authoris: sed locus uacuus relictus est uolenti inscribere ut et hic fecimus.* Videtur itaque exemplar nostrum ex *Florentino* illo depromtum, quod suadent praeterea perpetuae in ora Voluminis notae, conjecturaeque ad exemplar illud revocantes, quae frequenter simul animum Scriptoris a Communione Romana alienum loquuntur. Cum Epistolae hae, de quarum Autore jam *Cod.* praeced. mentio fuit, nunquam, quod sciam, typis editae sint, raroque in Bibliothecis manu scriptae reperiantur, operae pretium fuerit eas singillatim percensere.

Fol. itaque I. narrat Simon visionem quandam. Initium: *Vidi pontem super aquas præcipites* &c. Finis: *omnimode placentia Deo.*

Fol. II. Homilia de ludis et humanis festiuitatibus fugiendis. Initium: *Ambulabat Jesus in Galileam* &c. Finis: *similitudinem gestat.*

Fol. II. p. 2. Homilia commendans abstinentiam. Initium: *Serpit occulta tabes* &c. Finis: *necessarius sit in sacramentis.*

Fol. III. Epistola hortatoria ad Virum nobilem, ut a vitiis abstineat, virtutes sectetur, mortis meminerit. Initium: *Inter meas occupationes* &c. Finis: *in tuis agendis sæpe fungaris.*

Fol. III. p. 2. Epistola ad Virum nobilem Romanum, qua coarguuntur ejus fastus, suspiciones nimiae de uxore, et consuetudo cum Judaeis. Initium: *Credebam crebrius vestram visitare personam* &c. Finis: *præstatis audaciam.*

Fol. V. p. 2. Sermo italicus ad Fratres de virtutibus monasticis. Initium: *O uoj, che siete chiamatj angelj* &c. Finis: *doue sono traboccato.*

Fol. VII. Epistola hortatoria ad perseverantiam in bono. Initium: *Si me non fallit opinio* &c. Finis: *Confortare in domino et cet.*

Fol. VII. p. 2. Reprehenditur quidam, quod ab instituto coelibis vitae ad uxorem desciverit. Initium: *Argumentum tibi esse*